

1. Krenbergk, Christian: De acquirendo rerum dominio.  
1627.
2. Krenbergk, Christian: De furtis eorumque poena.  
1627.
3. Krenbergk, Christian: De emphiteusi. 1627.
4. Reusner, Barth.: De renunciationibus. 1627.
5. Reusner, Feremias: De testamentis infirmis, <sup>1627</sup> #627.
6. Reusner, Feremias: Quaestiones seu controversiae  
aliquot feudales. 1627.
7. Schmidt, Erasmus: Oratio ... Baldo Meisneri  
... memoriae habita. 1627.
8. Schultze, Georg: De pecuniae debitae obligatione  
tam ruda quam solenni. 1627.
9. Carpzov, Henr.: De contractu et distractu spon-  
suliorum. 1627.
10. Carpzov, Henr.: Disputatio Juridica ad l. Transigere.  
18. l. de Transactionibus. 1628.
11. Krenbergk, Christ.: Disputatio Juridica ad tit.  
ult. Inst. de publicis judiciis. 1628.
12. Krenbergk, Christ.: De ... quatuor delictis pri-  
vatis, furto, rapina, Damno legis Aquiliae et  
iniuria. 1628.

13. Krensborgk, Christian : De interdictis. 1628.
14. Reusner, Ferencius : De tutela et cura. 1628. <sup>1628.</sup>
15. Reutter, Gottfr. : De traditione. 1628.
16. Schultze, Chrys. : Decas I. positionum ex  
tit. 1. 2 et 3. part. 1. Synopses judic. : publice  
praelectae desumptarum. 1628.
17. <sup>Welles</sup> Carpzov, Konrad : Quando et in quibus causis <sup>1628.</sup>  
nobismet ipsis judicare et aliorum  
maleficia sine iudice propria auctoritate  
vindicare possimus ! 1629.
18. Carpzov, Konrad : De supplicationibus pro extra-  
hendis processibus. 1629.
19. Carpzov, Konrad : De fructibus ! 1629.
20. Grosse, Henning : Quaestionum juris decas IX.  
Ad tit. 1. 2. 3. 4. et 5. lib. 4. Fust. 1629.
21. Grosse, Henning : Quaestionum juris decas VIII. Ad tit.  
14. seqq. usq. ad tit. 23. lib. 3. Fust. excl. 1629.
22. Grosse, Henning : Quaestionum juris decas IV. Ad tit.  
7. 8. 9. lib. 2. Fust. 1629.
23. Grosse, Henning : Quaestionum juris decas VIII. Ad  
tit. 23. et seqq. usq. ad finem lib. 3. Fust. 1629.

24. Reusner, Jeremias: De Simonia. 1629.
25. Sperling, Johannes: Theoria Physica monstrorum.  
1629.
26. Carpzov, Christian: De jure connectu ducario.  
1630.
27. Carpzov, Konrad: De probationibus. 1630
28. Carpzov, Konrad: De testibus 1630.
29. Grosse, Henning: De servitutibus personali bus  
1630.
30. Grosse, Henning: De donationibus. 1630.
31. Grosse, Matthaeus: De societate conjugali.  
1630.
32. Krembergk, Christian: De juramento minui-  
tionis. 1630.
33. Krembergk, Christian: Positiones aliquot  
juridicae. 1630
34. Krembergk, Christian: De servitutibus  
praediorum, tam urbanorum, tum rusticorum.  
1630.
35. Krembergk, Christian: De hereditatibus, quae  
ab intestato deferuntur. 1630
36. Krembergk, Christian: De tutelis. 1630
37. Krembergk, Christian: De juramento calumniae.  
1630.
38. Lederer, Michael: De feloniam 1630.

39. Leupoldt, Adam: De testamentis. 1630  
40. Reutter, Gottfr.: ... Disputationem ...  
ut celebrem et famosam practicam L. diffamari  
1630  
5 P. De ingenuis manumissis proponit Chr. Wackel.  
41. Schulze, Georg: De protestationibus. 1630.  
42. Taubmann, Christ: Auctoritatum juridicarum  
de praesentia E. K. & S. 1630.

DISCURSUS JURIDICUS.

De 1628 1

CONTRACTU  
ET DISTRACTU  
SPONSALIORUM.

Quem

Jehovâ assistente, & consentiente Magnifico &  
Amplissimo JEtorum ordine Athenis  
Leucoreis,

SUB PRÆSIDIO,

Amplissimi, Clarissimi & Consultissimi  
Viri,

DN. CONRADI CARPZOVII

J. U. D. Professoris Publici, Electoralis curiæ, & Consi-  
storii Ecclesiastici Assessoris, Promotoris, Mecœnatis &  
Præceptoris sui, summo semper honoris, amo-  
ris & observantiæ cultu profe-  
quendi.

Publice ventilationi subjicit

PHILIPPUS BERGERUS

Vitebergâ- Saxo.

In auditorio JEtorum.

Ad diem II. Septembris.

Horis à 7. matutinis.

WITEBERGÆ, Typis Hæred. GORMA 1, 1628.





2  
8



# THESIS I.



**C**ompilatoribus Digestorum in-  
 nore fuisse, antequam verā alicujus rei de-  
 finitionē exprimerent in ipso operis ingres-  
 su, ut verbi descriptionē proferrent, & quid  
 vocabulum, de quo dicturi sunt, significet,  
 declararent, sat luculenter liquet ex princi-  
 pio l. i. ff. de Inst. & Iure. *Iuri operam da-*  
*turum prius nosse oportet, unde nomen Iuris descendat, Seu*  
*uti principium l. i. ff. Si certum petatur innuit. & re est, pri-*  
*usquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de*  
*ipsius tituli significatione referre. Cū teste Platone, verba,*  
*quibus res significantur, instrumenta sunt; Neque quisquam res*  
*probē intelligit, nisi prius verba cognoverit. Unde & Arist. 4. Me-*  
*taph. à significatione nominum incipere docet; Et nisi homines*  
*in significatione convenirent, nulla realis inter eos possit esse di-*  
*sputatio Steph. de Iuridict. in prin. no. 9.*

## II.

Sunt autem sponsalia à spondendo dicta, per Jctum Cla-  
 riss. Illp. l. 2. ff. h. t. Nam moris fuit veteribus stipulari sibi, spon-  
 dereque uxores futuras. Et ceu refert Aulus Gell. lib. 4. cap. 4. Noct.  
 Att. Ut is, qui uxorem ducturus erat, in Latio stipularetur eam  
 in matrimonium iri: qui daturus erat, sponderet: Hicque con-  
 tractus stipulationum sponsionumque, dicebatur sponsalia: Tunc  
 quæ promissa erat *Sponsa*, qui sponsonderat ducturum *Sponsus*  
 appellabatur. Hinc sponsi sponsæve appellatio nata & dedu-  
 cta est l. 8. ff. h. t. Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur aut  
 ducebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat, Judices cognosce-  
 bant. Judex quamobrem data acceptave non esset uxor quærebat.

Vocabuli de-  
rivatio.

A 2 Si

Handwritten marginal note or signature on the right edge of the page.



Si nihil iustæ causæ videbatur, litem pecunia æstimabat, quanti-  
que interfuerat eam uxorem accipi, aut dari eum, qui sponde-  
rat, aut qui stipulatus erat, condemnabat. Hinc *Lysiteles* apud *Plau-*  
*tum in Trinum Act. V. Sc. 2. cum Charmide. Spondesne ergo tuam*  
*gnatam uxorem mihi?* CH. *Spondeo, & mille auri Philippum*  
*dotis. Et in Aulul. Act. 2. Sc. 2. Megadorus Euctionem quærit. Etiam*  
*mibi despondes filiam?* Eu. *Illis legibus cum illa dote, quam tibi*  
*dixi.* ME. *Sponden' ergo?* Eu. *Spondeo.* Et in aliis quàm plu-  
rimis locis. Sic apud *Terentium in And. Sc. 1.*

*Ultro ad me venit: unicam gnatam suam cum dote*  
*summa, filio ut daret: Placuit, despondi.*

Et quod hæc despondendi formula apud Priscos in usu fuit, testis  
est *Brisonius* libro singulari *Antiquitatum*, de ritu nuptiarum.  
Item *Aulus Gellius* citato loco, ad quos & quemq; antiquitatis  
studiosum remitto.

### III.

Quanquam itaque non desunt, qui sponsalia à sponsore de-  
ducunt, quem constat eum dici, qui pro alio promittebat teste *Se-*  
*neca lib. 3. de benef. c. 35. Qui beneficia (inquit) sine sponsore non*  
*damus*, vera tamen non est istius vocabuli deductio, quia is, qui  
uxorem ducturus erat, non ab ipsa, sed ab eo, unde ducenda erat,  
nempe à patre stipulabatur, eam in matrimonium ductum iri, ut  
ex *Aul. Gell. deducit Alciat. lib. 1. parerg. cap. 2. teste Covarr. h. t. Proin-*  
*de potius arridet sententia J. Cti, qui à spondendo derivare con-*  
*tendit. l. 2. h. t. Siquidem spondere, à sponte venit, quasi facta sit*  
*spontanea datio vel promissio Varro de lingua Lat. V. Vesenb. in par. h. t.*  
*no. 2. Deinde & non contrahuntur sponsalia ex simplici stipula-*  
*tione paterna, nisi & consensus accedit contrahentium l. 11. & 13.*  
*h. t. l. 12. C. de nupt. Hinc est, quod omnis stipulatio promissioque,*  
*sponsio appellatur. l. 7. ff. de ll. S. Videatur Beust. in tractatu conu-*  
*bierum cap. 3.*

### IV.

*Varia voca-*  
*buli signifi-*  
*catio.*

Est autem hoc vocabulum æquivocum, quod interdum pro  
muneribus sumitur, quæ à sponso sponsæ dantur l. 1. C. si nupt. ex  
rescript. pet. l. 1. C. si Rector provinc. spons. dederit. Sic 1. Reg. 18. v. 25.  
Non

3  
43  
3  
8  
1

Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum prahutia Philistinorum, Nostri vocant arrhas sposalitias, ut patet ex Rubrica C. h. t. & l. mulier 5. eod. Veteribus pecunia nuptiarum causa promissa, dicebatur Sponsa Varro lib. 5. de ling. Lat. Treutl. Vol. 2. disp. 6. thes. 1. lit. A. Covarr. de Sponsal. cap. 1. Beust. in tractatu Connub. cap. 1. Sicuti munera, quæ conciliatoribus nuptiarum dabantur, Proxenetica dicebantur, uti elucescit ex Rubr. C. eod. tit. & l. fin. 6. C. h. t. Interdum sumitur pro ipsis nuptiis, uti ex Jure Canonico sponsalia de presenti, de quibus infra dicetur Thesi 7. Alibi etiam pro sponsione, quâ uxorem ducturus, stipulabatur à patre eius, eam in uxorem ductum iri. Treutl. all. loco.

V.

Explicatâ itaque vocabuli significatione, sequitur definitio. **Definitio.**  
Sunt autem sponsalia mentio & repromissio futurarum nuptiarum, sicuti legitur in vulgari Florentino exemplari, l. 1. de Spons. Hanc definitionem profectam esse, non dubium est, cum constat genere & differentia specifica, quæ sunt ejus partes, Genus definitionis est mentio & repromissio. Mentio ex sententia Florentini, imitatione Græcorum quod posita, quidam Jcti annotârunt cum Judio; siquidem *μνησεία* apud Græcos desponsationem & memoriam significat. Et ita Jcti viderunt, quam apte ea dictione fuerunt usi, quoad sponsalia, cum sæpissimè nuptiarum foedera præcedebant, quæ variis gentium moribus solenniter sanciebantur, teste Lactant. Firm. lib. 2. divin. Inst. pro Mentione verò legit Hottomannus in commentario Juris *Mutuâ repromissione*, quæ lectio valdè arridet Wefenbecio in parat. h. t. no. 2. Quamvis igitur illa lectio incongrua & insulsa non est, tamen nostræ Imperatoris sententiæ cum reclamât, rejicienda erit: Hic enim textum corrigere, & vitiosam scripturam arguere in conceptione digestorum §. 7. vers. & nemo, omninò vetat. Quia nihil magis culpabile in interprete est, improbante Vulteio, quàm si ad emendandum vel ad impugnandum textum nimis sit facilis. Ei enim à Juris textibus recedere, semper fuit religio, inquit sub Tit. Inst. de Testamentis. Eleganter autem repromissionis dictione usus est Jctus, quod ex propria significatione, pro reciproca promissione

A. 3

ne

ne accipiatur, quæ verè fit in sponsalibus, quia hinc inde reciproca est promissio Covarr. d lo. no. 2.

VI.

Specifica definitionis differentia est, *Futurarum nuptiarum*, quæ datur inter nuptias & sponsalia. Separantur igitur seu potius distinguuntur sponsalia ab ipsis nuptiis, quod hæc de præsentis, illa de futuro dicta sunt conjugio. Si itaq; quis diceret, *Ducam te in uxorem*, nuptiæ tunc non sunt, sed sponsalia quia sermo de futuro constat tempore. Si verò diceret, *Duco te in uxorem*, tunc veræ nuptiæ sunt, & de præsentis facta est locutio. Ut enim uxor differt à sponsa, sic & sponsalia ab ipsis nuptiis, teste Treutl. all. loco. Sponsa enim de futuro, uxor autem de præsentis dicta est tempore, l. 8. § 3 ad L. Iul. de Adult. gl. ad cap. quemadmodum verbo. sponsam de iurejurando. Rittersb. in prin. l. de nuptiis.

VII.

Divisio.  
1.  
Dividuntur in  
sponsalia de  
præsentis & de  
futuro, quæ  
vera divisio  
secundum ius  
Civile nõ est.

Enodatâ definitione, descendimus ad ipsas divisionis species. Sunt autem variæ sponsaliorum species. Primò autem sunt vel de *Præsentis*, vel de *Futuro*. c. si inter pen. de spons. De præsentis sponsalia, sunt *promissio conjugii præsentis*, seu ut loquuntur Icti, *tractatus dispositivus, super matrimonio præsentis, qui vim conjugii habet*. De futuro, sunt *tractatus de futuris in posterum nuptiis*, all. cap. pen. V Wesenbec. in par. hic no. 8. Covar. hic. no. 6. Beust. citato loco ibes. 7. Hanc verò distinctionem, quamvis Wesenbecius, Covarruvias, Beustius, & alii quàm plurimi tanquam, veram agnoscunt; Vera tamen non est. Cùm l. i ff. h. t. luculenter reclamat: In qua sponsalia sunt mentio futurarum, non præsentium nuptiarum. Quæ definitio & sola satis esse poterat ad redarguendam sponsaliorum divisionem vulgarem, tanquam falsam & inanem. Alioquin si verba præsentis temporis reperiantur posita; Ut *Accipio te in uxorem*, vel, *Ego te in virum accipio*, tunc illa sponsalia nuptiæ sunt Petr. Gregor. Thelofan. in syntagm. Iuris part. 1. cap. 2. Et quanquam sponsalia de præsentis non sunt propria, sed ita abusive dicta, uti Rittersb. in com. super Inst. tit. de Nuptiis notat. sustineri tamen minime nequit.

4  
8  
quit, propter matrimoniorum & sponsaliorum confusionem, quæ toto genere differunt. Quod enim interest inter stipulationem & contractum ipsum, ob quem stipulatio interponitur, idem sit inter sponsalia & nuptias, *Vult. de nuptiis in pr. no. 11.* Quod etiam saniores Juris Canonici interpretes viderunt.

II X.

*Sponsalia itaque omnia sunt de futuris in posterum nuptiis.* Unde & in sponsa spes dicitur matrimonii, *all. l. 13. §. 3. de Adult.* Sponsalia verò de præsentis de Jure Civili nulla sunt, sed à Jure Canonico introducta, *c. pen. de spons. Treutl. Vol. 2. disp. 6. Beust. in suo tractatu thes. 7. Mauserus de nupt. hic. Borcbolt Inst. h. t. Schneidevv. in commentariis super Inst. tit. de Nuptiis prin. no. 3.* D. Lutherus verò hanc distinctionem, teste *Beustio thes. 8.* omninò rejicit, quia talis loquendi formula apud nos Germanos non sit in usu, & quod prætextu & confusione istorum verborum, multa vera conjugia distrahantur. Unde sponsalia de futuro nulla concedit. Sed tunc demum, si adjecta sit aliqua conditio, *V. G. Si mei causa triennium expectaveris.* Hinc questio surgit, *quid Juris in ambiguis statuendum, cum verba duplici sensu sunt concepta, ita ut tam ad præsens, quam ad futurum tempus referri possunt:* Utpote *Volo te accipere in conjugem.* Et dicendum æquius & satius est, pro matrimonio ut fiat interpretatio, & de præsentis sit verborum explicatio: Siquidem in causis favorabilibus semper sententia pro actore promulganda est, *c. fin. de sententia & re tu dic.* Et verba in actibus, qui pendent à mera voluntate & loquentis dispositione, pro præsentibus accipiuntur, *V. Vesenbec. in par. hic no. 3. Beust. hic thes. 9.*

IX.

Hæc rursus distinguuntur in *Publica & Clandestina.* *Publica sunt, quæ in præsentia testium & consensu parentum sunt contracta, ut de his quin valeant, nullum sit dubium, nisi impediuntur ratione consanguinitatis vel aliis causis.* *Clandestina verò, quæ clam nullis adhibitis testibus, & sine consensu parentum sunt inita;* Et illa possunt dupliciter dici clandestina:

Primò

2.  
Divisio in Publica & Clandestina.

**Clandestina** Primò propriè & strictè quando prorsus clam remotis arbitris, sunt duplicia, & nullis testibus presentibus facta sunt. Deinde largè, qua  
 1. propriè & sine consensu paterno adhibitis testibus contrahuntur. Beust. de  
 strictè. 2. largè spons. d. lo. Manserus de nupt. in prin. Schneidew. de nupt. no. 21. Hæc-  
 que Lutherus in suo libello de causis matrimonialibus propriè  
 clandestina vocat, inquit: **Heimliche Verlöbniß** heisse ich/  
 das da geschiehet hinder wissen vnd willen der jenigen / so die  
 oberhand haben / vnd die Ehe zu stifften Recht vnd Macht  
 haben / als Vater vnd Mutter / vnd was an ihre statt seyn  
 mag. Denn ob gleich tausent Zeugen bey einem heimlichen  
 Verlöbniß wehren / so es doch hinder wissen vnd willen der  
 Eltern geschehe / sollen sie alle tausent nur für einen Mund  
 gerechnet seyn / als die ohne zuthun / öffentlicher vnd ordent-  
 licher Macht / solches meuchlings / vnd im finstern helffen an-  
 fangen / vnd nicht in Licht handeln. Videantur & ea. quæ con-  
 citato animo & vehementi spiritu contra sententiam Consistorii  
 Vitebergensis in Clandestinis sponsalibus tunc latam. idem Luth-  
 rus scripsit Anno 1546. in tomo Ienens. 8. fol. 238. ubi septem adducit  
 causas, cur sponsalia clandestina, matrimonia non constituent.

X.

Quamquam igitur sponsalia clandestina ab ipso Luthero re-  
 jecta inveniuntur, tamen ipsa clandestinitas per se non infringit  
 aut vitiat ipsum matrimonium, si ambo confiteantur, se sic an-  
 tea contraxisse; sed tunc demum, quando patris sententia ex ju-  
 sta & rationabili causa, contrahentium repugnat. Sed hic ori-  
 tur dubium de hoc casu non infrequente, quando concurrunt  
 publica & clandestina, quæ sint potiora & alteris preferenda?  
 Veluti. Es verlobet sich einer mit einer Jungfraw in beysein  
 ehrlicher Leute / Nach geschehenem Verlöbniß kompt eine  
 andere Jungfraw / allegiret, vnd probiret, daß der Bräu-  
 tigam ihr die Ehe lengsten verheischen vnd zugesaget hette /  
 ehe er öffentliche Verlöbniß gestiftet / der Bräutigam auch  
 solches selbst affirmiret vnd bekennet. Quæritur quid Juris.  
 In

**Questio de  
 publicis &  
 clandestinis  
 sponsalibus  
 concurrenti-  
 bus.**

5  
43  
3  
8  
6  
In hac quaestione firma constituenda est regula, publica sponsalia, semper praeferenda esse clandestinis, siquidem ea, quae solenniter introducta sunt, magis talia sunt & firmiora, quam minus solennia. Non habito respectu prioritatis, quam prior sponsa in confirmationem allegat, aut allegare potest. Et quamvis etiam sponsus & sponsa confiterentur, se contraxisse prius sponsalia clandestina, tamen talis confessio non debet praedjudicare quicquam publico matrimonio. Neque obstat juramentum, quod in clandestino sponsaliorum contractu est appositum, c. sicut 22. de spons. Si vero bina clandestina sunt, tunc juramentum primum, sicuti licite factum est, servare compellitur, c. duobus 1. de sponsa duorum, de secundo ei injungenda est poenitentia, Schneiderv. hic no. 24.

XI.

Porro quaedam sponsalia pure, quaedam sub conditione 3.  
contrahuntur, c. 2. de spons. c. super eo 5. de condit. apposit. in despons. Quaedam spon-  
V. Vesemb. in par. hic no. 3. in fine. Pure contracta sponsalia sunt, salia sunt pu-  
si quis simpliciter, absque ulla adjecta conditione promittit ra, quaedam  
conjugium, ita, ut per hoc sit nata efficax obligatio & actio, conditiona-  
ut alter ad petitionem alterius partis compelli possit ad con- lia.  
summandum matrimonium. Beust. in tract. de spons. Seu ut Bal-  
do placet. Purum est omne id, quod in essentia seu substantia sua  
non suspenditur, id est, nullum prorsus continet interjectum  
intervallum, §. omnis v. pure 1. de V. O. l. cedere diem ff. de V. S.  
Sub conditione contracta sunt, quae in aliquem casum vel e-  
ventum differuntur, §. sub conditione 1. de V. O. c. super eo. de con-  
dit. appos. Illa quoque sponsalia conditione nondum existente, sed  
pendente non sunt firma. Et licet etiam in conditionalibus  
sponsalibus consensus exprimat per verba de praesenti, ta-  
men adjecta conditio effectum de praesenti tollit, ita, ut in fu-  
turum, & conditionis eventum suspendatur. Utpote. *Duco*  
*te, si pater meus voluerit*, quae conditio pendet a voluntate  
tertii, scilicet patris, & non contrahentium, dicitur quoque conditio  
potestativa, l. si decem ff. de V. Obl. Hinc quaestio, si quidam stu-  
diosus

B

diosus

Vir promittit matrimonium, sub hac conditione potestiva: puella, & priusquam pater consentit, cum alia pure contracta, postea data fide, pater prioribus sponsalibus consentit, & ita conditio impletur, utrum matrimonium preferendum, pure quod est contractum, an illud quod sub conditione? Et concluditur, secundum matrimonium pure contractum valere & preferri priori conditionali, quia tale matrimonium habet vim sponsaliorum de futuro, quæ per sequentia sponsalia de presenti tolluntur, c. sicut ex literis de sponsal. Schneidev. hic no. 37. Modò pater puris sponsalibus consensum adhibeat.

XII.

4.  
Sunt vel jurata vel non jurata.

Denique quædam dicuntur *Iurata*, quædam *non Iurata*, c. requisivit de spons. c. commissum c. ex literis eod. *Iurata* sunt, quæ juramenti vinculo sunt confirmata, all. cap. commissum. Seu quibus juramentum statim est appositum. Et illa possunt fieri, vel cum conditione, vel pure, tam publice, quam clam. *Non jurata*, quæ nullo adjecto juramento, sed simplici modo sunt contracta, c. all. commissum.

XIII.

Clandestina: sponsalia juramento firmata, an rescindenda?

Incongruum & abs re non est, ut hic inseratur quæstio utilis & intricata: An & sponsalia largè clandestina, quæ adhibitis testibus, sine parentis consensu, appposito juramento sunt contracta, rata & firma habenda sint, An verò rescindenda? Rata quod sint habenda, nonnulli affirmativis laborant defendere argumentis, 1. Cum sola clandestinitate per se, non vitatur matrimonium, dummodò uterque deinde confiteatur, se clam sic matrimonium contraxisse, prout allegat Schneidev Inst. de nuptiis. 2. Cum juramentum, quod est contractibus appositum, eos firmat, si per se invalidi & omninò reprobati non sunt, sicuti declarat Greg. Tholos. in suo Syntag. Iuris lib. 50. c. 5. in pr. 3. ex c. quamvis pactum de pactis in sexto. c. cum contingat. de Iurejur. Cum pactum quod à lege civili improbatum, si juramento firmatum est, omninò servari vult. 4. Quoniam contempta religio satis Deum habet authorem, l. 2. C. de rebus creditis.

5. ex.

8. ex c. mulier de jurejurando. antent. sacrament puber. C. si adversus venditionem. l. ut iusjurandi 7. ff. de operis libertorum. l. qui iurasse dicitur 26. ff. de jurejurando. Denique & 6. cum iuramentum res spiritualis sit, quæ neque per leges contrarias, neque per statuta potest restringi, c. decernimus de judiciis. C. cum ad verum 6. dict. 96. Verum hisce argumentis non obstantibus, contraria sententia tanquam veriora defenditur.

XIV.

Sunt autem duæ Sponsaliorum species, quoad obligationis vinculum. Una est simplex, altera firmata. Simplex est, quando nudè & simpliciter sibi mutuo sponsus & sponsa nuptias futuras promittunt. c. pen. & ult. de spons. Firmata dicuntur, quando pacta accedunt de dotis constitutione & red- ditione. l. legem 10. C. de pact. vel iuramento de implenda pro- missione firmantur. Cujus exemplum extat apud Ovidium Epist. 18. Ubi Acontius, qui amore captus in Cydippem, in pomum scripserat hos versus:

Juro tibi sanè per mystica sacra Dianæ,  
Me tibi venturum comitem, sponsamq; futuram.

Cui & Cydippe respondit hoc modo:

Conjugium, pactamq; fidem, non crimina posco  
Debitus ut conjunx, non ut adulter amo;  
Verba licet reperas, quæ demptus ab arbore fœtus  
Pertulit ad castas me jacente manus.

Invenies illic id te iurasse, quod opto:

Ni tibi cum verbis excidit illa fides.

Plura qui de hac thesi scire sitit, consulat Iohan. Sich. ad l. 1. C. de reb. cred. & jurejurando. Petr. Gregor. Tholos. Syn. jur. hinc inde. Covar. part. 1. fol. mihi 250. Corasium in præludis ad l. admonendi ff. de jurejur. no. 17. & alios quam plurimos, quos Covar. dicto loco allegat.

XV.

Efficiens sponsaliorum causa, olim fuit stipulatio & mu- tua repromissio, hodiè verò sicuti nuptias efficit consensus, l. nuptias ff. de R. I. l. 11. l. 4. ff. h. t. l. 2. ff. de ritu nupt. c. fin. de sponsa duor. c. 2. & 5. de despons. impub. c. 2. 25. & toto tit. de spons. Et absque so- lennitate

B 2

6  
43  
3  
8  
5.  
Distinguan-  
tur in simpli-  
cia & jurata,  
quoad obliga-  
tionem.

Causa effi-  
ciens quid?

lenitate verborum contrahuntur, prout ex all. textibus patet  
item prin. 1. de nupt. VVesenb. in par. h. t. no. 4. Treutl. Vol. 2. disp. 6.  
thes. 1. & 2. Et non solum consensus eorum, qui coeunt, sed &  
in quorum sunt potestate contrahentes, requiritur, l. 2. ff. de ritu  
nupt. Vnde & patris consensus, in cujus potestate est filius, ad  
sponsalia refertur, id quod probatur, tam de Jure Divino, Na-  
turali, & Civili: *De Jure divino* Exod. 21. Iudic. 14. *Ex Jure*  
*Naturali*, quia æquitas suadet, ut liberi parentibus obedi-  
entiam & reverentiam exhibeant, l. 1. ff. de obseq. parent. & patr. prest.  
l. 2. ff. de Iustit. & I. *Ex Jure civili*, 1. propter patriæ potesta-  
tis vinculum, quo filius familias ligatus tenetur, pr. 1. de nupt. tot.  
tit. 1. de Patr. potest. l. 3. & 4. ff. de his, qui sui vel alien. jur. sunt. 2.  
Ne invito suus hæres agnoscat, §. & tam firmum 1. de Adopt.  
3. Propter textum l. 2. & 35. ff. de ritu nupt. Item l. 20. C. de nupt. l.  
fin. C. de repud.

XVI.

Consensus  
Parentis qua-  
tenus requi-  
ritur ad spon-  
salia.

Cum itaque consensus parentis per rationes jam motas re-  
quiritur, non incommodè quæritur, *An de Necessitate, An*  
*verò de Honestate, seu an ad ipsam sponsaliorum substan-*  
*tiam, an verò ad matrimonii pertineat qualitatem?* Hanc  
quæstionem, quam à nonnullis Doctis & eruditis Jctis ventila-  
tam, eorumque judiciis & disputationibus uberrimè exagita-  
tam perspexi, placuit quoque nostræ disputationi adjicere. Si-  
quidem à quibusdam Interpretibus Juris in dubium revocatur  
& controvertitur. Non desunt affirmantes, consensum paren-  
tis requiri ad sponsaliorum substantiam, & de necessitate abso-  
luta ad illa pertinere, sub quorum munero est Heigius prin. 1. de  
Nupt. Borch. 1. eod. t. & tractatu de gradibus fol. mihi 38. & sequ.  
Vult. ad prin. 1. de nupt. no. 16. Treutl. vol. 2. disp. 6. thes. 5. lit. C. Alb.  
Gentilius in tract. de nupt. lib. 4. c. 2. Cuj. 3. Ob. 5. Hunnius tract. 3. lib. 1.  
quæst. 13. Ant. Matth. in sui not. ad hunc tit. Item V Vilhelm. Zepperus.  
Ern. Cothman. Matth. Stephan. Henning. Arnisaus. Oleman. Bronckh.  
quos omnes recenset Heionius disp. 2. thes. 6. Item Schneidevv. h. t. part.  
3. no. 31. & seq. Et fermè Doctores communiter hanc sententiam  
affir-

7  
83  
3  
8  
affirmativam defendere laborant. Et quidem ex l. 2. ff. de ritu  
nupt. l. 12. c. eod. l. uni. §. oportet C. de rapt. Virg. l. Paulus ff. de status  
hominum, §. si adversus ea. inst. de nupt. Item propter æquitatem,  
per l. 95. §. naturalis ff. de solut. & rationem civilem, l. 3. ff. de  
obl. & A. Item per c. aliter c. nostrates C. 30. quest. 5. c. honorantur. c.  
hoc sanctum. C. 32. quest. 2. Contraria opinione nititur Giphanius  
ad l. 30. ff. de R. I. & Covar. tom. 1. part. 2. cap. 3. §. 8. de matrimonio.  
Decius ad l. nuptias de R. I. no. 8. & 9.

Primò dicunt, si patris consensus sit pars substantialis, ne-  
cesse esset, ut & aliquam mentionem istius faciat definitio, siqui-  
dem illa, vita & rei substantiam, de qua agitur, breviter expri-  
mit, quæ tamen consensum parentis excludit, l. 1. ff. de spons.

2. Matrimonia debent esse libera, l. Titia 134. ff. de V. obl. l.  
nec filium 12. & l. neque ab initio 14. C. de nupt. c. cum locum, c. gem-  
ma de Spons. V. Vesenb. in par. hinc. no. 4. Non verò coacta, l. 5. in  
fine C. eod. Schneidevv. part. 2. tit. de nupt. no. 21. Libera autem non  
sunt, si patris consensus sit expectandus, prout declarat Gyp. ad  
prin. l. 4. ff. de R. I. Ideoque cum potestas patria vel dominica  
libertatem filiorum & servorum constringit, ut liberam facien-  
di facultatem, quicquid velint, non habeant, velle non credi-  
tur, uti rectè notat Philip. Matth. ad l. 4. ff. de R. I. no. 1. 2. & 3.

3. Sponsalia sine patris consensu contracta dicenda esse.  
Nulla, imperfecta & irrita, si consensus parentis sit pars substan-  
tialis. Cùm id demum perfectum est, quod ex omnibus suis  
partibus constat, l. 1. ff. de O. Iur. Nulla autem non sunt, l. 1. §.  
ult. ff. de liber. exhib. sed saltem illegitima & injusta, l. si uxor. ff. ad  
L. Iul. de adult.

4. Et certam pœnam Jus civile diceret iis liberis, qui si-  
ne consensu parentis contraherent, siquidem non solum illud  
homines præmiorum exhortatione, verum & pœnarum metu,  
bonos efficere cupit, l. 1. §. 1. ff. de Iust. & Iure. Proinde & ve-  
tat filium exheredare, qui sine consensu parentis uxorem duxit,  
& injussu ipsius nupsit, No. 115. c. 3. §. 11. si scilicet filius vel filia  
ad personam honestam se applicavit, l. 3. §. si emancipatus. 5. ff. de  
bon. poss. cont. tab. Borch. ad prin. l. h. t. Cov. d. l. quæ tamen exhære-  
datio procederet, si injustè contra parentem egisset, Treutl. vol. 2.

disp. 6. thes. 5. lit. c. Borch. ad prin. 1. h. t. Cov. d. l. Borch. de grad fol.  
mibi 71. Beust. in tract. connub. c. 20. Decius ad l. nuptias ff. de R. I. no.  
10. Cuj. 3. obs. 5. Dissentit Hein. disp. 2. thes. 13. Cor. 1. misc. 17. no. 5.  
Duar. ad tit. de nupt. c. 2. in fine, quorum sententia Treutlero vi-  
detur dura allegato loco. Probatur tamen constitutione Saxoni-  
ca, in filiis sub potestate patris constitutis (*Von Ehegelöbnis*)  
fol. 99. uti tradit Beust. & Treutl. d. l.

5. Referuntur sponsalia inter contractus, & rectè, teste  
Motzio de spons. sich. hic. no. 1. quia est ultro citroque obligatio l.  
19. ff. de U. S. l. 7. ff. de pactis. Ad contractum autem requirun-  
tur personæ contrahentes solæ, ut reliquarum nulla habeatur  
ratio, nullusq; respectus, l. 12. ff. de contr. empt. idcirco & pater,  
qui persona contrahens non est, meritò tanquam pars substan-  
tialis rejicitur. Quæ fundamenta speciosa videntur; sed prior  
sententia longè probabilior est, quàm constitutio quoq; nostra  
Ecclesiastica & communis praxis approbat; ad contraria in ipso  
conflictu, si quis petierit, responsio dabitur.

6. Et tantum ex Jure Civili de hac questione, Jus Cano-  
nicum quod attinet, defendit & illud nostram sententiam, &  
patris consensum de necessitate ad contrahenda sponsalia re-  
quiri, statuit, c. 1. C. 30. quest. 5. & c. 3. quest. 1. c. honorantur, 32. q. 2. &  
c. fin. ead. qu. 2.

## XVII.

Absoluta questione præcedente, subsequitur altera, utilis  
& intricata. *An videlicet parens eo in casu, filiam dotare  
possit de jure compelli, vel non?* Levis de hac questione con-  
troversia non est, Heimonius in disputat. super Instit. negativam  
defendit thes. 14. disp. 2., cui adstipulatur Bartol. Bald. Salicet &  
Heig. quos omnes dicto loco recenset, & nituntur hisce rati-  
onibus, 1. Filia nubens absque patris consensu, dote se reddidit  
indignam, propter injuriam patri illatam. 2. Allegant S. pen.  
I. de Nupt. in quo dicitur. Si adversus ea, quæ diximus, aliqui  
coierint, neque vir, neque uxor, neque nuptiæ, neque matrimo-  
nium, neque dos intelligitur. Affirmativam verò defendunt  
ex l. ult. C. de dot. promiss. & l. capite 19. ff. de ritu nupt. quia pater-  
num

8  
83  
8  
num officium est, dotem vel ante nuptias donationem pro sua dare progenie, *all. l. ult.* Proinde & cogi potest à Proconsule & præfide dotare filiam, *all. l. 19.* quia in id obligatus est, *l. obligamur, 52. ff. de Ob. & Act. l. 17. ff. ad SC. Macedonian. l. 68. ff. de jure dot.* Ad duo etenim tenetur pater, ut tradit Covarr. *tomo 1. part. 2. cap. 3. §. 8. no. 8. fol. mibi 150.* Ad tradendam scilicet filiam marito, & ad constituendam ei dotem. Et licet à primo parens liber & solutus sit, cum ipsa filia nupsit, non tamen est liber à secundo, scilicet traditione dotis, quam opinionem communem esse dicit Curti. *Junior in auth. res qua no. 25. C. comm. de legat.* proinde & actionem ex stipulatu consequitur, *§. 29. I. de Act. Duar. in tit. de dote & Jure dot. cap. 3. Treutl. vol. 2. disp. 7. thes. 2. lit. b. VVesenbec. in par. de jure dot. no. 3. Vult. in Comm. In. de nupt. ad §. pen. no. 8.* Negativa tamē sententia rectē defenditur, cui convenit *constit. D. Augusti Ecclesiastica, sub tit. Von Ehegelöbnissen / §. Und da sie / etc.*

#### XVIII.

Consensum autem contrahentium non solum *expressum*, sed & *tacitum* sufficere constat, *l. 12. ff. h. t. cum matrimonium* verè contractum censetur, si parentibus filiorum nomine expressum conjugalem consensum præstantibus ipsi filii præsentis tacuerint, *c. unico de despons. impub. in 6.* Consensus enim ille paternus præstitus expressim filio præsentis & tacente, signum exterius inducit, quo filii consensus ad matrimonium exprimitur. Et hoc ex parentum contractu à Jure, præsumptione quâdam inducitur, *Covarr. tom. 1. part. 2. c. 4. de spons. seu matrim.* qui & hanc opinionem tanquam *Dd. communem* defendit *VVesenb. hic no. 4. lit. c.* proinde filia consentire videtur, quæ non contradicit aut evidenter dissentit *l. 7. l. sed ea, 12. ff. h. t.* Quod & in filio obtinere vult *Accurs.* Proinde filius vel filia sibi imputabit, quod concesserit, cum legem seu conditionem suam apertius dicere & conscribere potuit *l. veteribus ff. de pactis. Motzius de contractibus h. t.* Ideoque postmodum illis nolentibus seu contradicentibus, sponsaliorum pacta, nihilominus manent rata & firma, *Gregor. Tholos. Synt. Juris lib. 8. c. 4.* Filiofamilias verò statim dissentiente, sponsalia ejus nomine non fiunt, *l. 13. b. t. l. 12. C. de nupt. l. 21. ff. de*

*ff. de ritu nupt. Schneidevv. sub tit. Inst. de nupt. part. 2. no. 28. pag. mibi 66.*

XIX.

Ad contrahenda sponsalia non sufficiunt signa, sed verba præcisè necessaria sunt in valentibus loqui, ut tradit *gloss. c. tua de spons.* in his verò qui loqui non possunt, ut est mutus, exteriora sufficiunt signa, ex quibus conjugalis exprimat consensus, *c. cum apud de spons. Dissentit Motzius de spons. seu sponsaliorum substantialibus no. 4.* Hic enim signa sufficere contendit & sub tit. de matrimonio, suam sententiam corroborare pergit, *fol. mibi 794. no. 2.* dicens, etiam in valentibus loqui, nutu, aliisq; indiciis manifestari posse, propterea, quod multa propter astantium præsentiam verbis exprimere, verecundantur, proinde æquipoleant signa verbis, consentit *Vvesenb. par. hic no. 6. lit. D.* Videatur *Schneidevv. part. 2. de nupt. no. 20. fol. mibi 65.*

XX.

Possunt sponsalia contrahere qui & nuptias. Ubi verò nuptiæ interdictæ sunt, ibi sponsalibus, quæ sunt nuptiarum aditus, locus esse non potest, *l. 16. ff. h. t. c. cum quid de Reg. Iuris in 6.* quanquam impuberes, etsi non rectè jungantur, *l. quesitum 9. ff. h. t. prin. 1. de Nupt.* tamen sponsalia dilatis ad pubertatem nuptiis rectè contrahunt: dummodò id ab utraque parte fieri intelligitur, *l. 14. ff. h. t.* id est, si non sint minores, septem annis *l. 14. h. t. c. literas c. à nobis de despons. impub. c. ad dissolvendum eod. Covarr. d. loco cap. 2.* Unde & patri filiam suam in cunis jacentem despondere non prohibetur, *c. tua de despons. impub.*

XXI.

Per desponsationem verò talem parentis, filia compelli non potest matrimonium contrahere, etiamsi apposito juramento parentis stipulatio corroborata inveniatur, se, unam de filiabus suis alicui in matrimonium dare, dixisse: Id quod fit, propter consensum filix nondum adjectum, qui pars substantialis est sponsaliorum & expectandus, *l. 2. ff. h. t. l. 12. C. de nupt. l. 14. C. eod.* Unde & hoc in casu sponsalia contracta non sunt; Accedens

cedente verò filia voluntate, compellitur pater per tale juramentum ad faciendum, quod in eo est, & non plus. Et licet de Jure Civili promittens alienum factum, non obligetur, nisi specificè facta sit promissio, se facturum vel curaturum, §. 3. l. de inutil. stipul. tamen quando promisit cum juramento, etiam simpliciter, tenetur præstare operam, quam potest, ita ac si specificè se obligasset, l. 77. §. 23. ff. de Leg. 2. c. ad nostram de jurejur. interim tamen residet in patris voluntate unam dare, quam velit §. præterea, 31. l. de Act. l. 34. §. 6. ff. de contrab. empt. Parens itaque unam ex his si obtulerit, illeg; illam recusavit, à promissione est absolutus, Motz. hic no. 6.

### XXII.

Non contrahuntur sponsalia, si extraneus quatuor puellis promittit unam earum se accepturum, siquidem jura requirunt, ut sponsalia sint certa & specificè contracta. De rebus enim incertis & dubiis, nulla datur determinata quantitas aut qualitas. Ut itaque in contractibus realibus certa & determinata res, de qua contractus constituendus est, extorquetur l. 8 ff. de contr. empt. sic etiam in sponsaliorum contractu certa & determinata requiritur persona, nisi efficiatur nudus & imaginarius contractus, qui ipso jure nullus, l. 55. ff. de contrab. empt. Diss. Treutl. vol. 2. disp. 6. thes. 1. lit. D.

### XXIII.

Materia circa quæ versantur sponsalia, sunt futurae nuptiæ, quarum sponsalia aditus sunt, de quibus ultro citroq; datis arrhis, in iis tractari & conveniri solet, VVesenbec. par. hic no. 5. Treutl. alle. loc. thes. 7. Arrhæ autem cujus sunt materiae nihil puto interesse, sive sit aurea, sive argentea, modo si detur in confirmationem contractus. Plerumque tamen arrharum nomine datur annulus seu catena, in symbolum futuri matrimonii, & ad fidei datæ probationem, c. si quis 27. quest. 2. Sic enim & olim factitatum narrat Plinius lib. 33. cap. 1. Qui ob obligationem, inquit, aureos acceperant annulos. Sed ut Juvenalem de illo sensisse, apparet, dum monet Vrfidium, ne facile concederet, se matrimonio alligari, Satyr. 6. dicens:

C

Vide-

9

93

8

11



Viderunt primos argentea secula Mœchos  
Conventum tamen, & pactum, & sponsalia nostra  
Tempestate paras, jamq; à tonsore magistro  
Pectus, & digito pignus fortasse dedisti.

Testimonium perhibent exempla sacra; & primò quidem Thamaris, quæ pro concubitu passo ab Juda, & promisso in præmium Hædo, petiit sibi dare pro arrhabone & fide missionis præstandæ annulum & armillam, *Gen. c. 38. vers. 16. 17. & sequ.* Et Pharaon rex Ægypti in signum potestatis concessio Josepho, & quod sit constitutus moderator populi, datæ fidei arrhabonem dedit annulum suum, *Genes. 41. vers. 41. & 42. Gregor. Tholos. Synt. Jur. lib. 8. cap. 7.*

#### XXIV.

*Arrhæ verò traditio,* non constituit sponsaliorum contractum, ut consensus, sed illum duntaxat ratificat & certiorem reddit *V. Vesenbec. par. no. 6. Motzius de Matrim. col. 5.* Nudum siquidem est accidens, quod fidem consensus corroborat. Hinc & sponsalia absque arrhæ traditione perfici possunt: *c. tue 25. de spons.* Ut enim matrimonium seu conjugium sine dote esse potest, *l. fin. C. de donat. ante nupt.* Sic & sponsalia sine arrhæ, quam arrhabo plerumque intervenire solet, *l. 3. l. fin. C. eod. l. ff. legibus 16. C. de Episcop. aud. V. Vesenbec. par. all. loc.*

#### XXV.

Si itaque arrhæ in sponsalibus ad confirmationem data reperitur; postmodum verò sponsus vel sponsa seculari aurâ privaretur, *questionis est, an arrhæ sponsaliorum nomine data hæredibus sit restituenda, An non?* Et non iniquam istius repetitionem esse, contendunt Juri, cum præstitam fidem custodivit, donec horrenda mors illam dissolvit: mortis autem casus sponsalibus interveniens, non facit aliquem amittere arrhas, *l. 3. h. t. fortuitus siquidem casus est, quem nemo de Jure tenetur præstare, l. 6. C. de pign. Act. l. 23. ff. de R. I. Videatur Sebast. Medices tract. de casibus fortuitis.* Si verò culpa ipsius mors subsequuta est, perditur arrhæ, & hæredibus locus repetitionis non conceditur.

10  
13  
8  
6  
dicitur, quia culpam defuncti, haeredes purgare nequeunt, l. 3. C.  
h. t. l. 9. §. si colonis ff. locati. Sichard. ad l. 3. hic. no. 1.

XXVI.

*Formam sponsaliorum quod attinet, consistebat illa o. Forma.*  
lim in stipulationibus & cautionibus, de praestanda certâ poenâ, quæ in stipulationem ducebatur, l. 2. ff. h. t. interdum & interveniente contrahentium osculo constituebantur, l. si à sponso 16. C. de donat. ante nupt. Hodie verò qualiscunque promissio, sine scriptura, testatione & stipulatione ad constituenda sponsalia sufficit, & solus requiritur consensus, l. 7. ff. h. t. Unde & sponsalia per nuncium, per epistolam, per procuratorem, & per alium rectè contrahi possunt, l. fin. ff. h. t. sed non solum inter praesentes, verum quoque inter absentes, l. 4. ff. h. t. modò si absentes sciant, & postea ratum habeant, l. quid ergo 13. §. 1. ff. de his qui notant. infam. V. Vesenbec. in par. h. t. no. 6. Gregor. Tholos. Synt. Iuris. lib. 8. cap. 4. no. 5. & 6.

XXVII.

*Finis sponsaliorum est, ut contrahatur conjugium. Effe. Finis.*  
ctus futurorum, ut spem certam & jus futuri matrimonii indicant, l. si uxor 18. §. divi severus, ff. ad L. Iul. de adult. Unde & sponsus mariti, sponsa uxoris loco habetur, l. Lex Iulia 4. ff. de fundo Dotali. l. item apud 15. §. sponsum 28. ff. de injur. & famos. libell. l. non sine 5. C. de bonis qua lib. Cingendus siquidem habetur pro cincto, l. pen. ff. de testam. militis, & Doctorandus de proximo pro Doctore, Schneidevv. 1. de excus. tut. vel curat. Et potentia propinqua actui pro actu habetur, inquit Bald. ad l. pen. ff. de excus. tut. vel curat. seu ut placet V. Vesenbec. in par. hic no. 7. destinata ad aliquem finem, eo loco interpretatione Juris sunt, atque si suum finem adepta essent. Idcirco pro jam facto habetur, de proximo quod futurum est.

XXIIX.

*Et tantum de contractu sponsaliorum; Restat attingere ipsius dissolutionem.* Cum igitur quicquid in homine ligatur, solubile est, Nov. 22. c. 4. ideoque & sponsalia ut reliqui contractus

tractus solutionem admittunt, *VVesenb. in par. h. t. no. fin.* Etiam si facilis non sit illorum dissolutio, *Tholos. Syn. Iur. de solut. spons. cap. 9.* Olim quidem licebat pœnitere alterutri personæ aut ejus patri in sponsalibus, *l. 1. C. eod. l. 2. §. 2. ff. de divor. & repud. l. in potest. 10. ff. h. t.* adeo, ut & pœna promissa non deberetur, *l. Titia 134. ff. de Verbor. Obl.* Siquidem inhonestum visum est, vinculo pœnæ matrimonia obstringi, quæ tamen libera esse debent, *c. gemma 29. de Spons.* Novissimo tamen Civili Jure, qui pœniter, arrhas quas dedit, amittit, aut acceptas reddere tenetur duplicatas, *l. 5. C. h. t.* non verò quadruplicatas, *alleg. loc.* Contenti siquidem esse debemus pœnis legum comprehensis, *l. Titia 134. l. 19. ff. de Verbor. Obl.* Verùm de Jure Pontifico pœnitere non licet, *c. ex literis c. praterea de spons.*

### XXIX.

Generalis solutio.

Solvuntur autem sponsalia, aut sine peccato, aut cum peccato; vel ipso Jure, aut factò: Quæ sine peccato solvuntur, licitè solutionem merentur, quæ verò cum peccato, illicitè. Licitè in iis casibus, in quibus Juris Civilis LL. & Canones permittunt absque peccato mortali. Illicitè in quibus Canones & Jur. Civilis leges dissolutionem recusant. Et illa, quæ illicitè solvuntur, factò, quæ licitè Jure solutionem capiunt, *Motz. bic.* Aliam solutionis divisionem tradit noster Imperator *Iustinianus Nov. 22. cap. 4.* Vbi distrahuntur quædam utraque parte consentiente: quædam per occasionem rationabilem; quæ bona gratia vocatur: quædam circa omnem causam; quædam quoque cum causa rationabili.

### XXX.

Quot modis autem fiat solutio: Doctores plurimi varia dixere. *VVesenbec. in par. h. t. sub no. fin.* sex modos seu causas solutionis enumerat. Quarum 1. est Mutuus consensus. 2. Subsecuta deformitas. 3. Desertio. 4. Diversa fides seu religio. 5. Subsecutum stuprum. 6. Violentia & vis coacta. *Gregor. Tholos. in suo Syntag. Iur. lib. 8. c. 9. de spons. solut.* octo recenset. *Beustius* in suo connubiorum tractatu quinque duntaxat

286

11  
93  
3  
8

tas dissolvendi modos profert. *Vidas. Covarravias in epit. de spons. cap. 5. Septem teste Motzio allegat. Glossa in c. de illis plures dinumerat casus, videlicet:*

Lepra super veniens, furor, ordo, sanguis, & absens,  
Lasaq; virginitas, membri damnum, minor aetas,  
Acharesis lapsus, fideiq; remissio, prorsus  
Sponfos dissociant, & vota futura retractant

Ipse verò Motzius de contract. sub tit. quibus annullentur sponsalia, quindecim modos recenset, quos citato loco benevolus lector inveniet.

XXXI.

Certam itaque solutionem sponsaliorum esse, ex antea dictis elucescit. *Prima verò omnium quæ certissima est, Morte fit, quæ ut omnium periodus, finis & solutio est, l. 1. ff. de divort. & repud. Prin. Inst. quibus modis Ius patr. potest solvitur l. 15. ff. quando dies legat. cedat. l. 26. ff. mandati §. 3. I. quibus modis tutela finitur, l. 8. §. 6 ff. de oper. nov. nunciat. l. 12. & 13. ff. de solut. l. 16. 17. ff. de re iud. l. 2. in fine, ff. quibus modis ususfruct. in prin. I. de usu. l. 4. in fine. l. 35. l. 70. ff. pro socio. l. 1. ff. de privatis delictis. Sic & sponsalia solvit. N. 22. c. 20. sive morte sponsi solvantur, sive fine sponsæ. Gregor. Tholos. Synt. ag. Iur. c. 9. Sebast. Medices in tractatu, Mors omnia solvit. Treutl. vol. 2. disp. 6. thes. 7. lit. E.*

Solutio sponsaliorum fit.  
1.  
Morte.

XXXII.

*Alterà quæ mortem sequitur, est mutuu contrahentium consensus, tam de Jure Civili, l. 35. ff. de R. I. quàm Canonico c. 2. de spons. Nihil siquidem tam naturale est, quàm eo genere quidvè dissolvere, quo colligatum est, §. 1. & ult. I. quibus modis toll. Obl. l. 100. ff. de R. I. l. 153. ff. eod. l. 1. C. quando liceat ab empt. reced. Novell. 140. vers. pro veteri. VVesenbec. in par. h. t. no. 2. Motzius de contr. hic no. 4. Gregor. Tholos. Synt. Iur. lib. 8. c. 9. no. 3. In dubium verò revocatur quæstio: An & Jurata sponsalia per mutuum consensus possunt dissolvi sine peccato? Gloss. in c. præterea de spons. tenet quod non. Cui contrariatur Covarr. tomo 1. part. 1. cap. 5. no. 1. Decius Conf. 368. col. ult., quem allegat Motzius.*

2.  
Mutuo consensu.

C. 3.

Motzius.



Motzius, quorum sententia affirmativa est, & præ reliquis am-  
pienda.

XXXIII.

3.  
Subsecuta de-  
formitate.

*Tertius dissolvendi modus fit ob subsecutam deformita-  
tem, seu infirmitatem supervenientem gravem, Puta lepram,  
paralysin, morbum gallicum: seu propter membri alicujus da-  
mnum, ut est cæcitas & hujusmodi, c. 1. 2. & ult. de conjug. lepr.  
Vvesenbec. par. h. t. no. fin. lit. C. Motzius h. t. no. 14. fol. mibi 751.  
Gregor. Tholos. Synt. Iur. alleg. loco. fol. mibi 19. Vnde puella, quæ  
cum juvene contraxit sponsalia, non compelli potest matrimo-  
nium contrahere, si postea juvenis amittat nasum, vel manum,  
c. quemadmodum de iurejurando. Beust. in tractat. connubiorum, quæst.  
9. part. 2. Idem dicendum, si sponsus vel sponsa furtum com-  
misisset.*

XXXIV.

4.  
Malitiosa de-  
sertione.

*Quartus casus est, Malitiosa desertio, si videlicet spon-  
sus vel sponsa ante copulam, aliam petit terram & ad remota se  
transfert, tunc personæ relictæ conceditur ad alia se transferre  
vota, c. de illis de Spons. Vvesenbec. in par. hîc. no. fin. Motzius de con-  
trat. hîc. no. 12. fol. mibi 750. Cogitur autem sponsa expectare  
sponsum per triennium, si nesciat in quo terrarum angulo lati-  
tat, l. 2. C. de repud. Si verò sponsus sit intra provinciam, expe-  
ctari dedet per biennium, l. 2. C. h. t. ita ut si absentia causa ne-  
cessariae sunt, ex justo impedimento, triennium, quadriennium,  
imò etiam ulterius, quousque cesset impedimentum, protrahun-  
tur sponsalia, l. saepe. 17. ff. h. t. nisi ex periculo fornicationis ju-  
dex dat licentiam sponsæ ad contrahendum matrimonium cum  
alio, c. fin. de eo, quæ cognoverit consang. uxor. Verùm in Jure Ca-  
nonico has leges minimè locum invenire, contendit Abbas.  
Cardin. & Præposit. in c. de illis de Spons. imò asserunt Jure Cano-  
nico sponsam non teneri ad expectandum sponsum vagantem  
per orbem: sed posse petere licentiam ad contrahendum ma-  
trimonium, per c. de illis. Siquidem illa verba excludunt licen-  
tiam sponsi, atque moram illam biennii vel triennii. Didac.  
Covarruvias, qui diligentius hanc quæstionem conatur absol-  
vere,*

12 03  
3  
8

vere, tom. 1. part. 1. cap. 5. no. 3. credit, sponsum in loco propin-  
quo absentem, vel expectandum esse, vel requirendum, ut intra  
certum tempus contrahat matrimonium, ex ratione illius, c. de  
illis de spons. quod si justo impedimento detinetur, non temere  
sponsalia dissolvenda esse: Quæ sententia, cum incongrua tex-  
tibus Juris Civilis & Canonici non est, minimeque insulsa, sepo-  
sitis reliquis reservari potest.

XXXV.

Quintus casus est, diversa fides seu religio, puta si cum  
Judæo seu hæretico sponsalia contracta sint, l. si legibus 16. C. de E-  
pisc. audunt. seu alter ex sponsis post sponsalia, alterius & diversæ  
fiat cultor religionis, l. Deo nobis 56. C. de Episc. & cleri. VVesenb. in  
par. h. t. no. fin. lit. C. Gregor. Tholof. Synt. Juris h. t. cap. 9. no. 7. c. non  
oportet 28. quest. 1. N. Leo. 93.

5.  
Diversâ fide  
seu religione.

XXXVI.

Sexto fit solutio ob subsequutum stuprum, si sponsa ab alio  
prægnans deprehenditur, c. quemadmodum de Iurejur. seu si cum  
alio sponsa fornicetur, modo si poterit fornicatio probari. Si  
verò sponsus non obstante fornicatione sponsam in uxorem ac-  
cipere vellet, cogenda est sponsa matrimonium cum ipso con-  
trahere. Et ex adverso idem obtinetur in sponso. Si verò spon-  
sus vitiatam sponsam recusât, illam ad ducendam non potest  
compelli. Cum nemo cogendus est contrahere bigamiæ vitium  
nondum præstito conjugali consensu, Motzius hic. no. 9. VVesenb. in  
par. hic no. fin. lit. C. Gregor. Thol. Synt. Juris hic no. 8. Imo si sponsa vi-  
tiosa esset cognita, adhuc non posset compelli sponsus illam  
accipere in uxorem: sed petere sponsaliorum dissolutionem, Co-  
varr. tom. 1. part. 1. cap. 5.

6.  
Subsecuto  
stupro.

XXXVII.

Si vorò sponsus pro virgine ignoranter sponsam duxisset  
vitiatam, Questionis est, Nunc sponsa prægnans sit retinen-  
da, num matrimonium rescindendum? Forsterus matrimonium  
rescindendum esse negat, lib. 1. disp. 3. thes. 27. per c. 1. & 2. 29. q. 1. & c.  
quem admodum de Iurej. Item per c. 2. de divortii, quia matrimonium  
non dissolvitur propter vitia animi, l. pen. circa fin. C. de rep. Item  
per

Sponsa ab a-  
lio vitiata,  
num retinen-  
da?



31  
per l. 13. §. fin. ff. ad L. Iul. de adult. Cui adstipulatur Vvesenbec. par.  
ff. de ritu nupt. no. 8. lit. D. fol. mihi 766. Alb. Gentili in tract. de nupt.  
lib. 6. cap. 13. circa finem. Affirmativam verò, quæ clarior & verior  
tenet Heinsontus disp. 2. thes. 9. quest. 2. & primò quidem ex prin. l. 11  
& §. si quis virginem ff. de act. empt. argumentatur, Cùm in emptio-  
ne vilis ancillæ visum fuit, ut ex errore is contractus rescinderet-  
tur. quantò magis in contractu matrimonii, quod perpetuam in-  
ducit communitatem. Deinde & propter ipsum dolum mani-  
festum improbæ mulieris, quæ sciens se ab altero corruptam, ad-  
jungere tamen se pro virgine, ignorantis sponso non veretur. Do-  
lus autem, dans causam contractui bonæ fidei, cùm eum ipso iu-  
re annihilat, l. 7. in prin. ff. de dol. mal. quidni & matrimonium,  
quod & bonæ fidei contractus est, teste Gædd. de contrab. stipul. re-  
scindere deberet; æquum equidem cùm non sit, dolum suum  
quenquam relevare, l. verum 63. §. 7. ff. pro socio, aut ex eo quen-  
quam lucrari, l. non debet 74. ff. de R. I. Sicuti non par est & Jure  
naturæ æquum, quenquam cum alterius detrimento & jactura  
fieri locupletiores, l. 206. ff. de R. I. l. 14. ff. de cond. indeb. Tertio  
fidei pactio non servata, formaq; matata, res ipsa tollitur, l.  
Iulianus 9. §. sed si quis 3. ff. ad exh. Fides autem pactio in virgi-  
nem honestam & virginitatem, non in meretricem & impudi-  
cam mulierem data est. Unde hæc conditio tacita est subintelli-  
genda, si scilicet pudicitia & castitas virginalis salva manebit.  
Conditione igitur deficiente, & ipsum matrimonium deficit.  
Quarto elucescit ex regula Juris l. 27. ff. de R. I. matrimonii solutio.  
Quod ab initio vitiosum est, & c. Defuit autem ab initio consen-  
sus, qui in errore non est. Ideo & matrimonium subsistere ne-  
quit. Deniq; firmiorem reddit hanc sententiam, c. 22 Deut. v. 20.  
& 21. Vbi lex divina non modo hoc casu divortium permittit, sed  
quod severius, corruptam capitali supplicio affici jubet. Et quã-  
vis quidam Jcti laborant distinguere inter vitiatam consumma-  
to matrimonio, & stantibus sponsalibus, sub quorum numero est  
Alb. Gentili citato loco, nihil tamen obstat, quo minus affir-  
mantis opinio verà permaneat. Nam ad sponsalia quod spectat,  
jubet illorum rescissionem, N. Leo. 98. matrimonii verò tradit,  
N. 117. c. 8.

XXXIIX.

Septimò solvuntur sponsalia, si sponsa non stat pactionibus contractui adjectis. Ut quando dare promisit certā dotis quantitatem, & postmodum non valet promissis stare, tunc ab obligatione rectè solvitur sponsus, c. de illis de condit. appof. Si verò sponsa sponsum obligatum dimittere non vult, tenetur de Jure Civili pactum adimplere, l. i. C. de pactis conventis l. in traditionibus 48. ff. de pactis. V. Vesemb. in par. de pactis dotal no. 17. Item quacunque alia conditione interveniente & nō existente, Beust q. 18. & 19.

7.  
Non stantibus pactionibus.

13  
8

XXXIX.

Octavo potest fieri sponsaliorum solutio, propter tempus seu terminum adjectum, in contractu sponsaliorum. Elapso enim termino, præfixo, rectè solvuntur sponsalia, & locus conceditur altera persona impunè contrahere, quia amplius obligatus tenetur minimè, c. sicut de spons. Unde si sponsus requirat à sponsa, ut matrimonium certo die contrahat, & ipsa recusat, ipse requirens videtur liber à sponsalibus, si & ipse huic dissensui consentiat. Secus autem & in contractu consummato, quo casu dies potius censetur adjectus ad sollicitandum obligationis effectum, quàm ad extinguendam ipsam obligationem, Motzius hic no. 13. fol. mihi 75. Didac. Covar. tom. 1. part. 1. cap. 5. no. 5

8.  
Elapso termino.

XLI.

Nono impedit contrahere matrimonium ordo sanguis, si videlicet supervenit affinitas, ut quia alter consanguineam alterius cognovit, l. fin. ff. de ritu nupt. l. 39. ff. in prin eod. l. 38 ff. ad l. Iul. de adult. c. 1. de consang. & affin. V. Vesemb. in par. ff. de rit. nupt. no. fin. lit. F. Heinn. disp. 2. th. 11. Forster. disp. 3. th. 24. Motzius hic no. 15.

9.  
Impedit ordo sanguis.

XLI.

Decimo, cum ex solo impuberis dissensu, sponsalia in minori ætate sunt facta, & tunc post pubertatem rectè petit absolutio- nem, c. à nobis. c. de illis de d. spons. impub. etiamsi & nullam causam potest allegare pubes factus, quare ab ipso petatur solutio, Beust. hic thes. 3.

10.  
Impuberis dissensus.

XLII.

An autem sponsalia in ebrietate contracta rescindi possint,

11.  
incon. Ebrietas,

An vitiat con-  
tractum?

*incongrua questio non est?* Non desunt negantes; contractum sponsaliorum in ebrietate initum, firmum esse, cum ebrius consensum suum adjecit. Nos affirmativam tanquam veriore agnoscimus, & undecimum solutionis modum esse, asseveramus, siquidem contractus ab ebrio initus est invalidus, uti tradit Tiraquell. in suo tract. de pœn. mitig. caus. 6. no. 8. quia furioso comparatur, l. un. C. si quis imperatori maledixerit, l. 12. ff. de custodia. cujus voluntas est nulla, l. furiosi 40. ff. de R. I. nullum negotium, l. 5. ff. eod. l. 1. §. 12. ff. de oblig. Unde & sponsalia contrahere nequit, l. furor: 8 ff. h. t. l. 16. §. 2 ff. de ritu nupt. c. dilectus de spons. Ut enim furiosus, propter furorem contractum, celebrare nequit, sic & ebrius, propter ebrietatem, quæ animi consilium adimit, sponsalia non rectè contrahit, cum propter talem impetum declinat à libera voluntate: Unde & Cicero impetum talem opponit iudicio, lib. 1. Off. inquit: Multi faciunt multa, temeritate quadam, sine iudicio, vel modo in omnes, vel repentino quodam, quasi vento impetu animi incitati: Quæ beneficia æquè magna non sunt habenda, atque ea quæ iudicio, consideratè constanterque delata sunt: Sicq; ex Hesiodo Athenæus:

Gaudia quanta viris Bacchus dedit, atque laborem.  
Si quis multa bibit, fiunt insania vina,  
Illa pedes, mentemq; ligant, linguamq; manusque.  
Et quicumq; modum bibendi superavit, ille nec ultra  
Consilii compos, is neque mentis erit.  
Plurima nugatur jejunis turpia, & idem  
Turpe nihil cernit, quod temulentus agit.

XLI

12.  
Capitalis ini-  
micitia.

*Duodecimo & solvi possunt sponsalia, superveniente capitali inimicitia inter sponsam & sponsum, & tunc alteri cõceditur petere separationem, ne inde forte deterius contingat, & quis talem ducat, quam odio habet. c. 2. de spons. & c. requisivit eod. Tunc enim de duobus malis quod minus est eligendum.*

13.  
Secundus ma-  
trimonii con-  
tractus.

*Decimo tertio, solvuntur per secundum matrimonii contractum, ut puta si quis cum aliqua puella contraxisset de præ-*  
senti.

14 23  
3  
8

sentis, & cum altera postmodum contraheret de futuro, tunc nulla sunt posteriora. Si verò primò contraxisset de futuro, postea verò de presenti, tunc priora irrita censentur, *c. si inter de spons.* Idem dicendum, si quis simpliciter initio contrahat, & postmodum alia apposito juramento, alter sponsaliorum contractus rejicitur, non habito juramenti respectu, *c. in malis promissis 22. qu. 4. c. sicut de spons. c. accepisti de sponsa duorum. V Vesenbec. par. ff. de ritu nupt. no. fin. lit. E. c. gaudemus de divortis c. nuptia 32. quest. 1.* Similiter statuendum, si sponsus cum sponsa contrahat matrimonium, & tunc sponsalia transeunt in matrimonium, *Covarr. tom. 1. part. 1. cap. 5. no. 9.*

XLV.

Atque sic quam brevissimè, modos quosdam solutionis enarravimus, plures enumerat *Motzius de contract. h. t.* utpote votum castitatis simplex *c. veniens, qui clerici vel vovent. matr. contrab. poss.* Deinde hæresin, quando alter eorum efficitur hæreticus, quia est fornicatio spiritualis, *28. quest. 1. c. non solum.* His adjicit *V. Vesenb. in par. ff. de ritu nupt. sub no. fin.* insidias, veneficia, vitæ structa, *l. consensu 8. C. de repud. impotentiam naturalem, l. in causis 10. C. de repud. tot. t. C. de frigid. & malef.* Vim coactam & violentam, *sub tit. de spons. no. fin. lit. C.* Item metum, qui tamen cadere potest in virum constantissimum, *l. 6. ff. quod metus causa.* quos quilibet pro lubitu evolvere poterit. In genere dicendū est, sponsalia propter unamquamq; causam rationabilem supervenientem, quæ impedivisset contractum, si ab initio fuisset, solvi posse. Et tantum sat esse putatur, de sponsaliorum solutione.

XLVI.

*Coronidis loco* placet adjicere hæc duas quæstiones, quarum prima est: *An pœna adulterii habeat locum in fornicatione cum alterius sponsa? Et an Jure Mariti sponsus sponsam possit accusare?* Affirmativam tanquam veriore contra *Covarr. tom. 1. part. 1. c. 1. no. 9. & seq. defendimus, per l. 13. §. 3. ff. ad L. Corn. de adult. l. propter 7. C. eod. l. miles 11. §. 7. ff. eod. Cuj. 6. obs. 16. V Vesenbec. in par. ad L. Jul. de adult. no. 7. fol. mihi 1284.* Etiam si hodierno tēpore pœna mitior hoc casu decernitur. teste *V Ves. all. l.*

*Pœna adulterii an habeat locum in fornicatione cū alterius sponsa?*

D 2

XLVII. Al-



Sponsus suam  
sponsam co-  
gnoscens per  
vim, quomodo  
& an punien-  
dus?

XLVII.


Altera questio est, Sponsus cognoscens sponsam suam carnaliter per vim, An sit puniendus, & quomodo? Quod sit puniendus, est extra controversiam. Quomodo verò, est in lite, arg. l. uni. C. de rapt. virg. adulterii pœna sponsum puniendū esse statuit. Cui contradicit Covarr. de matr. dissolut. fol. mihi 193. no. 15. & 16. putans, sponsum, qui per vim sponsam suam cognoverit & raperit, non puniendum esse pœnâ adulterii, sed mitiori arbitrio Judicis. Præsertim in sponsa de præsentis. In sponsa autem de futuro, hanc l. unicam locum invenire, facilò concedit cum quibusdam Jctis, ibi allegatis. Ista autem concessio mea opinione foret nimis dura, siquidem eâ sponsa amitteret simul pudiciam, tanquam rem irrecuperabilem, l. un. C. de rapt. virg. & virū, Proinde mihi persuadeo, facilius dicendum quod sit, tam in sponsa de futuro quàm de præsentis hanc legem benignius interpretari posse, propter præcedentem tractatum & matrimonii contrahendi promissionem.

Et hæc ex imbecillitate ingenii, de quotidiana, fertili & jucunda materia, tam de Civili, quàm de Canonico Jure, Deo assistente & adjuvante proferre placuerunt.

Cui meritas toto de promam pectore grates.

F I N I S.





Vb 17

ULB Halle


3


002 673 282



TA → OL







DISCURSUS JURIDICUS.

*De 1628*

CONTRACTU  
ET DISTRACTV  
SPONSALIORUM.

*Quem*

*præassistente, & consentiente Magnifico &  
Amplissimo Jctorum ordine Athenis  
Leucoreis,*

SUB PRÆSIDIO,

*Amplissimi, Clarissimi & Consultissimi  
Viri,*

CONRADI CARPZOVII

*D. Professoris Publici, Electoralis curiæ, & Consi-  
lii Ecclesiastici Assessoris, Promotoris, Mecœnatis &  
Præceptoris sui, summo semper honoris, amo-  
ris & observantiæ cultu profe-  
quendi.*

*Publicæ ventilationi subjicit*

PHILIPPUS BERGERUS

*Vitebergæ Saxo.*

*In auditorio Jctorum.*

*Ad diem II. Septembris.*

*Horis à 7. matutinis.*

VITEBERGÆ, Typis Hæred. GORMA 1, 1628.

*173*

*173*

